



36d

37  
Ba

George Frederic  
de Boortel

+



DISPUTATIO PRACTICA,  
*De*  
JUSTITIA, JURE  
ET AEQVITATE,  
*quam*  
DEO OPT. MAX.

Omnis Justitiæ auctore,  
Consensu Superiorum,

*In Elect. Academia Francofurtana,  
quæ est ad Oderam,*

*Sub*

Præsidio,

*Viri Clarissimi,*

DN. MATTHIÆ GRUVII,  
V Villershusâ-Brunsvigii, Philoso-  
phiæ Magistri,

*exponit,*

*Eruditorum examini,*

Sigismundus Fischer/ Neosedin. Pom.

Ad diem 23. Jan. horis locoqve constitutis.

---

Francofurti prælo ERASMI RÖSNERI

Anno 21570vicias 1652.





DISPUTATIO  
DE  
IUSTITIA TERRAE  
ET AERIVITAE  
DEO OPT. MAX.

Omnia iustis subditis  
Constituta sunt.

Deus, Maximus, Sublimis, etc.

DEI GRATIA

Sigillatus

Amo 1700







I. N. D.

## SECTIO II.

De


# Justitia Universali & Particulari.

## CAPUT I.

De

### Justitia UNIVERSALI,

I.



Justitia est habitus animi in mediocritate consistens, hominem perficiens ad justa agenda.

II. Causæ Justitiæ sunt: 1. *Efficiens* est vel remota, ut Deus, vel proxima, quæ aut prima, aut orta, de utraqve egimus in præfatio Philosophiæ, Sectione. 2. *MATERIA*, in qua seu *subjectum denominationis* est homo, *inhesionis* est voluntas, *Circa quam seu objectum* sunt omnes actiones honestæ, v. g. fortiter in hostem pugnare; Temperanter vivere &c. 3. *Forma* est mediocritas, in qua consistit omnis virtus. 4. *FINIS* est vel ultimus, ut gloria DEI, vel proximus, ut honestas & felicitas:

III. Justitia est vel *Universalis*, vel *Particularis*: *Universalis* Justitia est Justitia, quæ homo obedientiam præstat legibus omnibus ad utilitatem publicam promovendam, & societatem honestè conservandam. De *particulari* in Capite sequenti agetur.

IV. Cognatum Justitiæ est: 1. *Justus* est, qui justè justa agit. 2. *Justum* est, quod fit secundum Leges.

V. Justitia observanda sunt requisita: 1. *Potestas*, ut sit in nostra potestate. 2. *Voluntas*, quæ incipit actionem. 3. *Ipsa actio*, quæ totuplex, quov-

A 2

tuplex



euplex est modus volendi, de quo vide proœmium Philosophiæ, locô citatô.

VI. Justitiæ opponitur *injustitia*, quæ vel Universalis, vel Specialis: Universalis est, quâ nulli legi præstatur obedientia.

## CANONES.

I. *A. Positione justæ intentionis præcisè ad positionem actionis justæ N.V.C.* Expl. Ratio est; quia bonum est ex integra causa; malum verò ex quovis defectu.

II. *Quàm latè patet virtus moralis, tam latè patet Justitia Universalis.* Expl. quia omnis virtus moralis est justa: & omne quod justum est, dependet à Justitiâ Universalis.

III. *Non tantùm justa, sed etiam justè fieri oportet.* [Expl. patet Canon ex tribus requisitis Justi: Non tantùm factum, sed etiam voluntas ponderanda est.

IV. *Non omne Justum simpliciter est Justum; & Contra.* Expl. Ratio est; quia haut rarò in Republica videmus quædam admitti, vel etiam constitui, quæ cum naturæ bono pugnare videntur, & simpliciter considerando aliter constitui possunt.

V. *Injustia universalis tam latè patet, quàm vitium morale.* [Expl. Ratio est; quia Justitia universalis omnia in se continet vitia, v. g. in hostem qui fortiter non pugnat, in justè agit; intemperanter qui vivit, injustè agit, &c.

## QVÆSTIONES.

I. *An de Justitia ante reliquas virtutes omnes rectè agatur?* A. quia Justitia prior est virtutibus reliquis omnibus: 1. *Ratione nature*; quia Justitia Universalis virtutes in se continet omnes. 2. *Ratione Cognitionis*; quia Justitia facit ad cognitionem reliquarum virtutum: Scire enim non possum, quòd fortiter pugnare in hostem sit Justum, nisi prius sciam, quid Justitia, & quid justum sit. 3. *Ratione dignitatis*; quia Justitia Universalis Rempubl reddit pacatam.

II. *An Justitia rectè distinguatur in Universalem & Particularem?* A. Quia Justitia Universalis ad leges omnes se accommodat. Particularis verò in distributione atque commutatione rerum mediocritatem servat. Deinde Justus dicitur, qui non tantum Justitiæ Distributiæ & Com-  
muta-



mutativæ; sed etiam reliquis virtutibus sese conformem gerit: Ergo hac ratione Justitia suam sortitur distinctionem.

III. *An Justitia Universalis sit una & eadem cum universa virtute?* A. Quia versatur circa singula virtutum objecta, & sic non differunt realiter: sed ratione. Notandum est, quod actiones virtutum considerantur bifariam: vel *Ratione virtutum*, à quibus denominantur: sic dicuntur fortes, liberales &c. Vel *Ratione alterius*, quatenus bono inserviunt publico, & sic dicuntur potius justæ, quàm fortes.

IV. *An Injustitia Universalis uni simul subjecto inesse possit?* N. Quia per Injustitiam Universalem repræsentantur omnia vitia, quæ contrariæ sunt naturæ. Contraria enim simul esse non possunt in eodem subjecto.

## CAPUT. II.

De

# Justitia Particulari Distributiva.

I. Distributiva est Justitia particularis servans mediocritatem meritorum & onerum, quantum unicuique de illis secundum proportionem Geometricam debetur.

II. Objectum sunt vel *præmia* seu merita, ut honores, dignitates, bona ab hostibus capta; vel *onera*, ut tributum, vectigal &c.

III. Proportio Geometrica est, quâ quantum in unoquoque civium est dignitatis seu virtutis, tantum is præmii consequitur. Similis ratio est de oneribus, cum non omnes cives commoda Reipl. ex æquo percipiant, nec onera ex æquo ferant.

IV. Extrema hujus virtutis unô nomine veniunt injustitiæ, quâ plus, vel minus præmii & oneri tribuitur, quàm tribui debeat.

## CANONES.

I. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Expl. Canonem hunc recta ratio dicitur & consensus omnium populorum comprobatur: Est enim fundamentum virtutum omnium.

II. *Non qui justa, sed qui justè agit, est justus.* Expl. Justa agere respicit

A 3

actum



actum, qui non omnis fluit ab habitu: Justè agere respicit habitum.

III. *Eum sequantur onera, quem sequuntur commoda.* Expl. Qui in societate communi, negotiationibus commodis & opibus gaudet, is immunis non fit ab oneribus.

IV. *Injustior est, qui injustè distribuit, quàm qui plus æquo accipit.* Expl. Ratio est; quia initium actionis à distribuyente fit, non ab accipiente; Major etiam in illo, quàm in hoc præsumitur voluntas.

V. *Deterius est injusta facere, quàm pati.* Expl. Ratio est; quia injusta facere fit cum malitia; in justa verò pati fit sine ea.

## QVÆSTIONES.

I. *An Justitia particularis possit dividi in distributivam & Commutativam?*  
Aff. Quodcunqve accidens, objectum habet diversum, illud potest dividi: Sed Justitia particularis est accidens objectum habens diversum: Ergo. Major patet; quia Accidens dividitur ratione objecti, subjecti &c. Minor constat ex ipsis præceptis.

II. *An Justitia distributiva tantum observet proportionem Geometricam?*  
N. dist. potissimum observat proportionem Geometricam, quando præmia atqve onera sunt distribuenda inter personas conditionis diversæ: quando verò præmia atqve onera distribuenda veniunt inter personas conditionis æqualis, arithmeticam observat mediocritatem.

III. *An divisio Justitiæ particularis in distributivam & Commutativam sit generis in suas species?* N. quia 1. utriusqve est eadem forma, scilicet Mediocritas. 2. Hæc divisio fit ratione objecti, quod externum quid: Ergo divisio hæc est externa & extra essentialis; & non interna & essentialis, seu generis in suas species.

IV. *An qui plura, quàm debet, alteri tribuit, sit injustus?* A. Quia violat mediocritatem atqve proportionem, quocunqve modo plura alteri tribuat; Si scienter, leges distribuendi iniqve transgreditur; sin incautè distribuit sine voluntate, prudentiâ, atqve constantiâ, sine quibus Justitia pro nihilo reputatur.

V. *An qui plura, quàm debet, à distribuyente accipit, sit injustus?* A. dist. Qui plus æquò nesciens accipit, injustitiæ notam non incurrat; sin sciens, injustus evadit; quia plura appetit, quàm ipsi jure debetur.

VI. *An is, qui sibi minus tribuit, quàm aliis, sibi metipsi faciat injuriam.* N. Quia hoc facit volens; Volenti autem non fit injuria.

CAP.



## CAPUT III.

De

# Justitia Commutativa.

I. Commutativa est Justitia particularis, mediocritatem servans in contractibus secundum proportionem Arithmeticam suum cuique tribuendi.

II. Objectum Justitiæ Commutativæ sunt *Merces variæ*, circa quas contractus solent institui, ceu sunt: Venditio, emtio, locatio &c.

III. Proportio Arithmetica est habitudo spectans ad Contractus, quid personæ debetur, non ratione dignitatis, sed ratione contractus.

IV. Extrema hujus virtutis, uno nomine veniunt Injustitiæ: *In excessu est vel nimium lucrum*, quum iniquum pretium rei imponitur; vel *nimia pena*, quum poena iniqua & delicto major personæ imponitur, *In defectu est vel damnum*, cum quis, in commodò afficitur, minusque accipit, quam iure debetur; Vel quum poena delicto minor delinquenti imponitur.

## CANONES.

I. *Justitia commutativa servat æqualitatem rei non in quantitate, sed in qualitate.* Expl. Ratio est; quia si quantitatis æqualitas servanda foret tunc studiosi ligna ementes in Academiis tantum pecuniæ, quantum ligni, dare tenerentur, quod absurdum.

II. *In Contractibus nullus planè personarum respectus, sed rerum tantum commutandarum attenditur.* Expl. v. g. mercator non tenetur sua mercimonia vilius vendere Principi, quam concivi.

III. *Quò major est indigentia rerum necessariarum, eò major valor est constituendus.* Expl. v. g. apud quosdam populos cerevisiæ pretium pretio vini non potest adæquari; quia hujus major indigentia quam illius.

IV. *Cui multum commissum ab eo quoque multum exigitur.* Expl. Verus est Canon de concessione cujuscunque rei; sic presbyteri gravius puniuntur sæpe, quam laici. L. presb. 8. C. de Episcopis & Clericis.

## QVÆSTIONES.

I. *An venditor vitia rei vendende indicare teneatur?* A. Quia aliàs violatur Justitia Commutativa cupiens conservari æqualitatem inter rem & pretium: Venditor autem defectus rerum non indicans, rem majore, quam *gna est, valore vendit.*

II. An



II. An liceat rem ab alio minoris, vel pluris emere quam valet? N. Quia Iustitia Commutativa requirit æqualitatem rei & pretii, quæ tollitur, si res pluris, vel minoris emitur.

III. An injustius agat, qui plus dat, vvam qui plus accipit? A. dist. plus dat vel sciens, vel nesciens: si sciens, tunc magis libere agit, quam accipiens, ideoque injustius agit; si nesciens, gravius peccat ille, quia superfluum pecuniam tacite retinet.

## CAPUT IV.

DE

# Jure.

I. Ius sumitur vel propriè, vel impropriè; Impropriè sumitur: 1. Pro loco, ubi jus dici solet. 2. Pro aliqua potestate seu auctoritate. 3. Pro lege qualibet iusta, hac acceptione jus dividitur in Naturale, Gentium & Civile. Item in Divinum & Humanum; In civile & canonicum, 4. Pro peritia legum, secundum illud vulgatum: *Jus est ars æqui & boni*. Propriè verò sumitur pro relatione æqualitatis. &c.

II. Ius est relatio æqualitatis proportionis inter meritum & debitum.

III. *Jus naturæ* est dictamen rectæ rationis indicans actionem ex ejus convenientia aut disconvenientia à DEO naturæ auctore præcipi aut vetari. *Jus Civile* est multarum rerum coacervatio ad Reipubl. administrationem spectans. *Jus gentium* est, consuetudo ex consensu populorum introducta, illisque verè omnibus communis. *Jus Talionis* est, quò quis prorsus idem, quod fecit, patitur.

IV: Iuri opponitur *Injuria*, quæ est juris violatio, cum quis sciens volens alterum lædit ei que damnum præter meritum infert.

## CANONES.

I. *Jus nascitur ex lege & facto*. Expl. v. g. omnis homicida puniri debet: Joab est homicida, 1. Reg. 2. v. 31. & seqq. E. Joab puniri debet. Ubi propositio major est Lex; Minor est factum; conclusio est jus.

II. *Ubi par est ratio, ibi idem jus: & contra*. Expl. v. g. ubi quis parilem habet auctoritatem cum potestate Jurisdictionis conjunctam, ibi quoque pari modo eandem exercere potest.

III. *Quis succedit in locum, succedit in jus*. Expl. Intelligendus est canon de isto loco, à quo dignitas & Jurisdictio non separatur.

IV. A. Re-



IV. *A remotione facti ad remotionem Juris N. V. C. Expl. v. g. Jacob Leam pro Rahele traditam non repudiavit; Iure tamen repudiare potuisset: fuit enim error personæ.*

V. *Suum cuiq; tribuere non semper est justum. Expl. Ratio est; quia suum cuique tribuere respicit fundamentum Justitiæ, quod est ne alicui noceatur, sed communi utilitati atq; Gloriæ DEI inserviat; Sic qui gladium depositum homini furioso reddit ad fundamentum Justitiæ non respicit.*

IV. *Vim vi repellere licet. Expl. Intelligendus est Canon de repulsione justa & legitima. v. g. Injuriam illatam legitimè propulsat, quando ejus vindictam à magistratu expetit.*

VII. *Melius est prævenire, quàm præveniri. Expl. h. e. melius est damnum seu injuriam imminentem atq; inferendam, si fieri potest, impedire, quàm illatam propulsare seu ulcisci.*

VIII. *Non est injuria nisi à consilio profecta. Expl. v. g. Sic nemo invitus alii infert injuriam, licet inferat injustum factum.*

IX. *Ubi nulla ratio, ibi neq; injuria, neq; delictum. Expl. Ratio est; Quia hæc omnia præsupponunt rationem. Hinc perperam fecit Xerxes, qui Hellepontum verberari jussit ac si deliquisset.*

X. *Nemo alteri facit injuriam, qui suo utitur Jure. Expl. Ratio est; Quia pro merito, vel pacti, vel facti debitum tribui curat.*

XI. *Volenti non fit injuria. Expl. Intelligendus est Canon de voluntate, bene composita, & non ex defectu aliquo laborante,*

XII. *Non statim qui injustum patitur, patitur injuriam. Expl. Ratio est; Quia injustum pati cum voluntate sæpe conjunctum est, injuriam pati à voluntate alienum est.*

## QVÆSTIONES.

I. *An licitum sit unicuiq; de Jure suo remittere? A. Quia est singulare argumentum humanitatis, mansuetudinis atq; misericordiæ. Hinc DEUS de jure suo quoridie maximum remittit dum hominibus parcit, nec pœnas dignas, vel planè, vel eò malò, quò possit, infligit.*

II. *An Jus humanum rectè dividatur in naturale & positivum. N. Ita cui-dam placuit: sed perperam; Quia Jus naturale est Jus divinum non humanum. Divinum enim est, quod Deum habet auctorem, qui jus vel inscripsit, vel speciali patefactione promulgavit.*

III. *An Jus naturale rectè describatur: Jus naturale est, quod natura omnia*

B

anima-



*animali docuit?* Non videtur; quia non in omnibus animalibus est ratio, quæ possunt distingvere inter bonum & malum; nec electio unius præ alio. Negatâ enim causâ, negatur effectus. Attamen quia Ius naturæ sub se comprehendit cōservationem sui etiâ brutis speciali quædam proportionem tribuitur, videatur, Amesius de casu conscientiæ lib. 5. cap. 1. quæst. 3.

IV. *An Jus gentium sit idem quod naturale.* N. dist. Jus gentium sumitur bifariam: vel pro eo Iure, quò omnes utuntur gentes, & sic sub se complectitur Ius naturæ: Vel pro eo quod à gentibus communi consensu est introductum, & sic ab eo differt.

V. *An Jus talionis sit approbandum.* A. dist. Inter jus simplex quod est Pythagoræ. Et Analogicum, quod est Scripturæ Sacræ Exod. 21. v. 24. Levit. 24. v. 19. Deut. 19. v. 21. Matth. 7. v. 2. Non illud, sed hoc potest observari eò, quòd consistit in proportionem Analogicam rerum ac personarum.

VI. *An Ius ullò titulò possit appellari injuria:* N. Quia injuria destruit naturam Iuris; Et si dicerem: Ius est injuria, idem foret, ac si dicerem: virtus est vitium. Hinc Ennii vox est ambigua: Summum Ius summa injuria; Et idem est, ac si identicè enunciaret: Injuria est injuria.

## CAPUT V.

De

# Æquitate.

I. Æquitas est Iuris rigidi adtemperatio.

II. Æquitas à Iuris peritis variè dividitur. 1. In naturalem & civilem. 2. in universalem & particularem. 3. in scriptam & non scriptam. Verùm has divisiones nos non facimus nostras; sed Iuris peritis defendendas relinquimus.

III. Æquitati opponitur *Iniquitas*, quæ consistit: 1. in Iuris stricti & rigorosè accepti usurpatione, v. g. hoc jure usus fuit Manlius Torquatus Consul Romanus, qui filium suum securi percussit, eò quòd cōtra dictam sententiam patris cum hoste etiam feliciter pugnarat. 2. In malitiosa juris interpretatione, v. g. sic jus malitiosè interpretatus est Cleomenes Rex Lacedæmoniorum, qui septem dierum inducias cum hoste pactus, captatâ oportunitate, tertîa nocte dormientes invadit, multos interficit, alios in servitum redigit; ad jus jurandum ait: Noctes non fuisse additas.

I. Omne



## CANONES.

I. *Omne quod æquum est, justum est: sed non contra.* Expl. Intel-  
ligendus est canon de jure rigido, non de jure adtemperato, v. g.  
omnem furem puniri justum est, sed furem, qui panem tempore  
extremæ famis furatus est, sine pœna dimitti æquum est.

II. *Vir æquus non est ἀντιβουλαιος.* Expl. h. e. Vir æ-  
quus jus suum haud semper urget; sed sequitur judicium decreta,  
quæ ad rerum circumstantias flectuntur.

III. *Quod quisque juris in alium statuerit, eodem jure & ipse utatur.*  
Expl. verus est canon, si æquitas non negligitur, v. g. populi, qui  
sub alterius imperium sunt redacti, sese ab illius imperio iterum  
eximere possunt, si modò justas se eximendi habent causas.

## QÆSTIONES.

I. *An æquitas ad jus adhibenda?* A. ob varietatem circumstan-  
tiarum, quia lex in univèrsam tam accuratè ferri non potest, quin  
nonnunquam emergat casus, cui secundum omnes circumstantias  
sine iniquitate applicari nequeat.

II. *An æquitas in jure etiam divino adhiberi possit?* A. v. g. He-  
bræis lex fuit lata, ut diem Sabbathi sanctificarent, & ita  
ab omni opere cessarent; Christus tamen æquitatem respiciens  
eò ipso die discipulis suis spicas vellere concessit. Deinde DEUS  
ex jure stricto nobiscum non agit in ipso etiam judicio, in quo  
ad mille, quod respondeatur, non est homini.

III. *An æquitas veram justitiæ rationem habeat?* A. Quod cunqve  
disponit, ne jus iniquè adhibeatur, illud veram justitiæ habet ra-  
tionem. Atqui æquitas disponit, ne jus iniquè adhibeatur: Ergò  
æquitas veram justitiæ habet rationem. Major est manifestæ veri-  
tatis; quia illud ipsum est justitiæ, ejusqve habet rationem, quod  
rectè & ordine dirigit atqve disponit, ut omnia justè adhibeantur.  
Minor illustratur unò atqve alterò exemplo supra adducto. Sed  
objiciat quis: Quodcunqve discrepat à justo, id est injustum:  
Atqui



Atqui Æquitas discrepat à justo : Ergò æquitas est injusta. Respon-  
deo ad majorem : 1. *per instantiam* : Omnes reliquæ Virtutes, v. g.  
Fortitudo, magnanimitas &c. aliquo modo discrepant à justitia,  
seu justo, nec tamen propterea merentur dici injustæ. 2. *Per limi-  
tationem* : Quod cunqve discrepat à justo, scil. contrariè, illud est  
injustum : Sic negatur minor. Nam æquitas & justitia à se invicem  
discrepant, non contrariè, sed disparatè ; disparata verò non pu-  
gnant.

IV. *Unde defectus sit, quem Æquitas corrigit?* Responde-  
tur : Non est in jure, neqve in lege, neqve in Legislatore ;  
sed in rerum materia. Non enim omnia & singula ob circumstan-  
tiarum varietatem, vel à Legislatore prævideri, vel in verbis legum,  
quæ brevitate atqve paucitate gaudent, comprehendi possunt.

V. *An Æquitas, veluti jus, contineatur scriptò?* Respondetur : con-  
tinetur & non continetur scriptò : Continetur *ratione juris æqui*.  
Hinc jus civile describitur, quod sit ars boni & æqui, vide *Ung-  
paur. Exerc. Just. 1. q. 9.* Non continetur *ratione Circumstantiarum*,  
quas omnes & singulas injure, seu legibus, exprimere, est unum  
*ἐπιτὴν ἀδυνατῶν*. Æquitas dependet ex viri boni arbitrio, v. g.  
Lex moderna est : *Non furtum facies sub pœna capitis.* igitur si pau-  
per, aliàs probus, egestate impulsus, duos vel tres hordei mensu-  
ras suo proximo abstulit furtò ; accusatur, juxta verba legis capite  
plectendus foret : Sed Æquitas respiciens circumstantias ali-  
ud svadet. Vid. Cl. Præt. Theat. Eth. p. 118.

F I N I S.





00 A 6456

ULB Halle

3

002 929 244




R


Worm











7.  
PRACTICA,  
A, JURE  
VITATE,  
T. MAX.

tiæ auctore,  
uperiorum,  
ia *Frankofurtana,*  
l *Oderam,*  
ub  
idio,  
risfimi,

HÆ GRUVII,  
unsvigii, Philoso-  
Magistri,  
nit,  
m *examini,*  
ex/ *Neosedin. Pom.*  
s locoq̄ve constitutis.

ERASMI RÖSNERI  
yovias 1652.